# CAPUT III.

# *EX THEOLOGIA MORALI.*

## §. I.

## EX THEOLOGIA PRACTICA UNIVERSALI.

I. Doctrina moralis, quae in regulas rite vivendi inquirit, vel philosophica, vel theologica est.

II. Utriusque diversitas ex probandi principiis, mediis, motivis, exemplis, & officiorum perfectione desumitur.

III. Theologia moralis complectitur officia erga Deum, seipsum, & proximum. Haec divisio nobis praeplacet, cum ejus Auctor Christus eamdem Matth. 25, 37. seq. & alibi insinuet.

IV. Quemadmodum universae Theologiae, ita & Theologiae moralis fontes primarii sunt verbum Dei scriptum & traditum; secundarii vero Scripta Sanctorum Patrum, Decreta Conciliorum, Praxis Ecclesiae &c.

V. Actionum humanarum regula est Lex, quae est propositio Obligationem enuntians.

VI. Obligationis nomine intelligo necessitatem moralem, quae ex connexione motivorum cum actione libera oritur.

VII. Leges tam naturales, quam positivae, divinae aeque ac humanae in conscientia obligant.

VIII. In collisione legum exceptio ita facienda est, ut habeatur ratio motivorum, ut bonum totius bono partis, & finis medio praeferatur.

IX. Leges naturales rationis lumine promulgantur, & adnexam sibi habent sanctionem, imperfectam quidem in hac vita; perfectam vero in altera.

X. Lex vetus est abrogata; in lege autem nova vera continentur praecepta.

XI. Leges civiles solvendi tributa non sunt mere poenales.

XII. Judicium, quo factum aliquod, & ejus consectaria libero alicujus arbitrio adsignantur, est imputatio, cujus species conscientia est.

XIII. Ratione imputationis tria adtendenda sunt: a) quid, b) cui, & c) quo in gradu actio imputari possit.

XIV. Ad licite operandum requiritur dictamen conscientiae moraliter certum.

XV. Principia Probabilistarum, ut vocant, reflexa, licet sint subinde vera, moralem certitudinem in perverso eorum systemate non efficiunt; Praecipua sunt sequentia: a) nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgata, b) Melior est conditio possidentis, c) qui prudenter operatur, non peccat. &c.

XVI. Ex ortu & progressu probabilismi, nec non ex Decretis complurium Episcoporum, Archiepiscoporum, imo & summorum

Pon-

Pontificum, validum contra hanc morum corruptelam argumentum efficitur.

XVII. Peccatum committitur, si vel contra legem vel contra conscientiam agatur.

XVIII. Agere contra conscientiam erroneam, ejusdem speciei & gravitatis peccatum est, cujus esset, si conscientia erronea non esset.

XIX. Peccata differunt numero, specie, & gravitate. Regulae hanc diversitatem dijudicandi sciscitanti exponentur.

XX. Occasio peccandi proxima dicitur illa, quae nos probabili peccandi periculo exponit.

§. 2.

## DE OFFICIIS ERGA DEUM.

I. Cognitio Dei est fundamentum reliquorum officiorum erga Deum. Inter hujus cognitionis adquirendae media potissimum est assidua Sacrae Scripturae lectio, quae fidelibus nunquam sine distrimine prohibita; sed & in Scriptura, & ab Ecclesiae Patribus maximopere fuit commendata.

II. Ad actus virtutum theologicarum fidei, spei, & charitatis adulti obligantur.

III. Post promulgatum Evangelium fides explicita mysteriorum Incarnationis, & Ssmae Trinitatis necessitate medii necessaria est.

IV. Charitas perfecta ab imperfecta non specie, sed gradu differt.

V.

V. Ad cultum Dei externum, qui ſine interno eſſe non poteſt, obligamur.

VI. Cultus Dei publici actus nobiliores ſunt: ſacrificium, uſus Sacramentorum, votum, juramentum, & ſanctificatio dierum.

VII. Qui frequenter diebus dominicis & feſtis majoribus officium divinum in Eccleſia ſua parochiali negligunt, obligationi ſuae non ut oportet, ſatisfaciunt; licet etiam ſine parochi proprii contemtu abſint.

VIII. Ad Euchariſtiam digne ſumendam ex parte animi mundities ab omni peccato lethali, & praevia devotio; ex parte corporis vero jejunium naturale eſt praemittendum.

IX. Ut fideles ſibi ſubjecti tempore paſchali, in Eccleſia ſua parochiali ad ſacram ſynaxin accedant a Reverendiſſimo Ordinario noſtro admodum utiliter ordinatum eſt.

X. Sacramentum poenitentiae hominibus poſt Baptiſmum mortaliter lapſis neceſſitate medii neceſſarium eſt.

XI. In Poenitentiae Sacramento non ſufficit attritio, niſi amore ſaltem initiali ſuffulta ſit.

XII. In confeſſione non ſolum circumſtantiae ſpeciem mutantes, ſed & notabiliter aggravantes aperiendae ſunt.

XIII. Peccata gravia diebus dominicis commiſſa, ſpecialem continent malitiam; hinc temporis ſacri circumſtantia in confeſſione Sacramentali eſt exprimenda potiſſimum, ſi ſcandalum conjungatur.

XVI.

XIV. Vovens, si res Deo promissa sit gravis, sub culpa veniali solum se obligare potest.

XV. Votum cum ex Virtute religionis insigne suppeditet motivum, ad rem etiam aliunde praeceptam se extendit.

XVI. Non tuta illorum est sententia, qui dubitantem de voti emissione ab adimplendi onere liberant.

XVII. Religiosi extra statum monasticum legitima auctoritate constituti, obligatione votorum monasticorum soluti sunt.

XVIII. Juramentum, si in judicio, justitia & veritate fiat, in Scriptura S. non est prohibitum.

## §. 3.

## DE OFFICIIS ERGA SEIPSUM.

I. Ama te, perfice te, generale erga seipsum officium est; exinde caetera ratione animae, corporis, & eorum, quae utriusque statum perficiunt, bonorum famae & fortunae officia colliguntur.

II. Obligamur facultates tum animi, tum corporis conservare, easque novarum perfectionum incrementis augere.

III. Autochiria tam legi naturali, quam positivo divino maxime adversatur.

IV. Violenta vitae defensio cum caede iniqui aggressoris servato moderamine inculpatae tutelae non est illicita.

V

V. Jus neceſſitatis violat, qui occidit innocentem, ſine cujus occiſſione vitam propriam conſervare non poteſt.

VI. Prohibitum eſt honoris tuendi cauſa ſeu offerre, ſeu acceptare duellum.

§. 4.

## DE OFFICIIS ERGA PROXIMUM.

I. Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Hoc effatum fontem & modum officiorum erga proximum comprehendit.

II. Diviſio officiorum erga proximum in perfecta & imperfecta adprime eſt notanda.

III. Fundamentum officiorum perfectorum eſt: *perfice proximum*; imperfectorum vero: *non laedas proximum*.

IV. Spectatis circumſtantiis correctio & denuntiatio proximi errantis vel adhibenda, vel omittenda eſt.

V. Obligatio, & quantitas Eleemoſynae ex ſuperfluo, quod quis habet, & ex neceſſitate proximi determinanda eſt.

VI. Proximus laeditur quoad voluntatem per ſcandalum, cujus malitia diabolica eſt, ſi perverſio proximi intendatur.

VII. Turpiter hallucinantur, qui mendacium officioſum & jocoſum non ſolum a culpa excuſant; ſed & ſubinde præcipi adfirmant.

VIII. Licet homicidium privata authoritate factum omni lege prohibitum ſit; nihilominus *Probabiliſtae*, qui paſſim divinam legem ſua-

ſuavem & benignam eſſe clamant, de eo tales evulgarunt opiniones, quae ſaevitiam praeſeferunt & feritatem.

IX. Nullo unquam caſu abortum directe procurare licet.

X. Quanta requiratur materia furti ad lethale peccatum, ex adjunctis colligendum eſt.

XI. Minutiora furta ſubinde multiplicari poſſunt ita, ut lethale peccatum inde fiat.

XII. Contractus vel eſt oneroſus, vel gratuitus; bonae fidei, vel ſtricti juris; abſolutus, vel conditionatus.

XIII. Pacta adjecta conditione turpi plerumque ſunt invalida; hinc neque ante, neque poſt adimpletam conditionem pacta merces ex debito eſt ſolvenda.

XIV. A Mutuo differt contractus foenebris; prior gratuitus; poſterior vero oneroſus eſt.

XV. Superflua poſſidens, ſi proximi neceſſitas exigat, ad dandum eidem mutuum, niſi donare velit, jure naturali obligatur.

XVI. Contractus foenebris licitus eſt, ſi cenſus modum non excedat, quem leges praeſcribunt.

XVII. Matrimonium eſt ſocietas ſobolis procreandae & educandae cauſa a perſonis diverſi ſexus inita.

XVIII. Polyandria legibus naturalibus directe; polygamia autem indirecte eisdem repugnat.

XIX. Lege evangelica polygamia ſimultanea eſt prohibita.

XX.

XX. Impedimentum publicae honeſtatis non tollitur, ſi ſponſalia praecedentia mutuo conſenſu diſſolvantur.

XXI. Impedimenta matrimonii dirimentia jure humano introducta magis adhuc reſtringi, expedire judico.

XXII. Neceſſitas Roma petendi diſpenſationes in impedimentis matrimonii non raro graviſſimis animarum periculis fideles exponit.

XXIII. Ex violatione officiorum perfectorum novae enaſcuntur obligationes, quibus ad laeſionem reparandam adſtringimur.

XXIV. Homicida non tenetur ad damnum reſarciendum illis, qui charitatis officium ab occiſo percipiebant.

XXV. Mutilator ad ſatisfaciendum pro damno, quod intulit, obligatur.

XXVI. Proles cenſetur in foro externo legitima, ſi dubitetur, an ſit ex matrimonio aut adulterio; adulter nihilominus in foro conſcientiae ad alimentationem pro rata dubii tenetur.

XXVII. Praeſcriptio licet jure ſolum humano ſit introducta, juri tamen naturae non repugnat.

XXVIII. A poſſeſſore malae fidei fructus etiam conſumti reſtituendi ſunt.

*I. O. G. D.*

TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Inches
Centimetres
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19